

DE CODICIBUS EURIPIDIS MANU SCRIPTIS.

QUOD Aeschylo quoque et Sophocli accidit, ut septem quae hodie extant fabulas complectentes paucissimi tantum libri MSS. servati sint, trium vero utriusque tragicorum (Promethea dico, Septem contra Thebas, Persas; et Electram, Ajacem, Oedipum Regem) satis multa nec tamen valde illa antiqua exemplaria supersint; idem plane Euripidi contigit, ut raro reperti sint codices, qui septem vel novem ejus fabulas uno volumine comprehendant; frequentissime, qui tres fabulas Hecubam, Orestem, et Phoenissas; perraro, et quasi casu tantum, qui unam et alteram ex sex reliquis, exceptis scilicet his tribus, exhibeant. Cujus rei causa cum tironibus fortasse obscurior videri possit, pauca in eorum gratiam hac de quaestione praefari instituimus.

In scholis grammaticorum, qui aliquot saeculis post prima Christianae Dispensationis tempora vixerunt, (cum demum deperdita esset pars maxima fabularum, quas ad manus habebant Plutarchus, Athenaeus, Stobaeus, alii, quorum e scriptis tot et tam praeclara fragmenta excerpta sunt,) duae circumferebantur tragicorum scriptorum eclogae, quarum prior et quidem antiquior septem vel novem sigillatim continebat dramata, scholiis sive commentariis Graece scriptis (*ὑπομνήμασι*) Alexandrinorum aliorumque grammaticorum instructa; posterior tres tantum tragoelias complexa est, scholia autem non modo longe auctiora, sed saepe ineptis etiam Byzantinorum commentariis interpolata prae se ferebat. Idem etiam plane de Aristophane dicendum est, cuius tres fabulae, Plutus, Nubes, et Ranae, ceteris longe frequentiores in libris MStis inveniuntur.